

DE
CONFUSIONE PRONOMINUM TERTIÆ PERSONÆ GRÆCORUM

SCRIPSIT

C. A. WALBERG.

UPSALIÆ
EDQUIST & BERGLUND.

1867.

De confusione pronominum tertiæ personæ Græcorum[1]

SCRIPSIT

C. A. Walberg.

Aricæ, quæ jam vocantur, linguæ, ut pronominum primæ et secundæ personæ magnam præ se ferunt similitudinem et cognationem, ita pronomen illud tertiæ personæ, quod genera plerumque non distinguit[2]) et propter usum suum maxime vulgarem reflexivum appellatur, omnes fere[3]) ex uno constat eodemque fonte derivasse.

Lingua Sanscrita, quamquam hoc pronomine non utitur ut proprio vocabulo, stirpem ejus, quæ est sva, reflexivi pronominis sensu in compositis vocabulis exhibet; ut in svab'û, quod de eo dicitur, quod *per se* est, et similibus[4]). Tum ex eadem stirpe ductum est svayám, quod *ipsum* significat et de omnibus personis per omnes et numeros et genera et casus usurpatur. Indidem denique ortum est pronomen possessivum svas, svâ, svam, quod et ipsum de omnibus personis et numeris dicitur ita ut non solum *suum* significet, sed etiam *meum*, *tuum*, *nostrum*, *vestrum*[5]).

---

[1]) Rem a veteribus grammaticis sæpius indicatam, a recentioribus magna exemplorum copia comprobatam, a recentissimis aliarum linguarum comparatione illustratam si hoc loco mihi proposui tractandam, id solum spectavi, ut historiam sermonis Græci ex parte quadam exigua oculis legentium subjicerem. — Quæ huc congesta sunt exempla, maximam partem instituta ante hos aliquot annos poetarum Græcorum lectione collegeram; nunc, etsi non dubitabam, quin nonnulla me fugissent, et tempus et animus deerat molestum laborem denuo incipere.

[2]) Una, quod sciam, Græca lingua, in plurali numero neutrum genus a ceteris distinguit.

[3]) Eas omnes dico, quæ hoc pronomen habent; nam Anglica lingua non minus quam vetus Anglosaxonica reflexivo pronomine caret. Sendicas formas hê, hoî ejusdem originis esse Boppius Gram. Comp. II. p. 126 statuit iis convenienter, quæ docet ejusdem operis I. p. 32 sq. Quæ formæ si non reflexivo sed directo sensu usurpantur, idem et in Græco pronomine et in possessivis multarum recentiorum linguarum ex eodem fonte ortis sæpe fieri videmus. Sed cfr Schleicher, Lautlehre p. 489.

[4]) Vide Bopp. Gram. II. p. 126 sqq.

[5]) Animadvertendum est hoc non ita dici, quasi svas idem sit atque *meus* ceteraque primæ et secundæ personæ possessiva, verum ita, ut, si is, qui loquitur, possessionem ex sua ipsius persona significare velit — id quod in plerisque linguis necessario fit — tum ei hæc pronomina usurpanda sint.

Ex hac igitur radice omnes pronominis tertiæ personæ Græcorum formas præter *μίν* et *νίν* (quas ob hanc causam omisimus) ortas esse jamdiu constat. Quod ita factum, ut duæ efficerentur novæ stirpes, quarum ex altera singularis numeri casus, ex altera dualis et pluralis fingebant Græci. Illa enim aut *s* in spiritum asperum mutato et ejecto *v*, aut *s* ejecto et retento *v* orta est; hæc postquam *v* in duriorem sonum *φ* transiit. Ita ex illa exstiterunt singularis numeri formæ, quæ sunt in genitivo casu *ἕο, οὗ, εὗ, εἷο*[1]), *ἑοῦ*[2]), *ἑοῦς*[3]), *οὗς*[4]), *ἕθεν, Fέθεν, Fίο*[5]), in dativo *ἑοῖ, οἷ, Fοῖ*[6]), in accusativo *ἕ, ἑέ, Fέ.* Ex hac autem (*σφε, σφι*) provenerunt dualis formæ *σφωΐν, σφωέ* et pluralis *σφεῖς, σφέα, σφέων, σφῶν, σφείων, σφίσιν, σφίν*[7]), *σφί, σφέας, σφᾶς, σφείας, σφέ* et, præmisso *α*, Aeolicæ *ἄσφι, ἄσφε,* consonantium sedibus mutatis, Doricæ *ψίν, ψέ*[8]). Tum ex illa formatum est possessivum pronomen *ἑός, ὅς, Fός,* de uno possessore usurpatum, ex hac *σφεός, σφός, σφέτερος,* quæ ad plures possessores referuntur.

Hæ formæ, quas magna ex parte dialectorum et temporum diversitati tribuendas esse facile apparet, ex antiqua illa radice non potuerunt gigni nisi ita, ut simul infinita ejus significatio distingueretur et definiretur. Quod tribus modis a Græcis effectum est. Nam et soli tertiæ personæ hoc pronomen assignabant et casuum ter-

---

1) *ἑοῖο,* quod ab Apollonio Rhodio usurpatur (vide Gerhardi Lectiones Apoll. p. 93) fortasse nihil nisi grammaticorum commentum est.

2) Vide Apollon. de Pron. p. 98.

3) Hunc genitivum a Corinna fuisse usurpatum auctor est Apollon. l. c. Cfr Ahrens Dial. Æol. p. 169, Dial. Dor. p. 250.

4) Hujus formæ Priscianum solum auctorem habet Ahrens Dial. Dor. p. 249.

5) Tarentinorum hoc esse putat Ahrens Dial. Dor. p. 169. Cfr Dial. Æol. p. 171.

6) Boeotos *Fῦ* dixisse ex Apollon. de Pron. p. 106 conjicit Ahrens Dial. Æol. p. 191 not. 6), *ὗ* Bekkerus in lectionibus libro Apollonii de Pron. subjectis. Dativis *ἵν* Hesiodum, *ἑΐν* Corinnam et Antimachum usos esse testatur Apollon. l. c. Illam formam, quam ex Hermanni conjectura nonnulli in Pindari carmina intulerunt (vide Ahrens Dial. Dor. p. 252, Buttmanni Gram. Maj. p. 289), a Cypriis pro *αὐτόν, αὐτήν* usurpatam esse dicit Hesychius s. v. *ἵν*. Nominativo *ἵ* Sophocles in Oenomao usus esse dicitur. Apollon. de Pron. p. 70. Quamquam *ἵ, ἵν* fortasse scribenda sunt et ad eandem stirpem atque *μίν, νίν* referenda. Vid. Kühneri Gram. I. p. 385. Curtii Etym. Græc. II. p. 120 (ed. prim.).

7) Laconicum erat *φίν* a Callimacho et Nicandro receptum. Ahrens Dial. Dor. p. 109, 261. Buttm. Gram. Maj. p. 291. *φίν* pro *αὐτοῖς, αὐταῖς* positum commemorant etiam Hesychius et Apoll. Lex. Hom. s. h. v.

8) Syracusanis has tribuit Apollonius de Pron. p. 126, 128, qui ibidem p. 122 docet, in monosyllabis formis illud *ψ* ab iis semper observari, de polysyllabis autem propter varias scriptiones judicium incertum esse.

minationibus indicabant, qua ratione cum aliis vocabulis conjungeretur, et numeros partim terminationibus, partim stirpium diversitate distinguebant[1]). Attamen hæc omnia, præter casuum distinctiones[2]), non adeo certa erant et constituta, ut numquam ab iis discederetur neque antiquæ radicis vis ac natura etiam in Græca progenie appareret. Sæpius enim factum esse videmus, ut aut ad primam vel secundam personam hoc pronomen referretur aut plurales casus pro singularibus adhiberentur aut possessiva ex diversis hujus pronominis numeris ducta promiscue usurparentur, ut neque personas neque numeros possessorum observarent[3]). Hæc igitur antiquæ radicis vestigia, quæ ab Homerica inde ætate usque ad hæc tempora per totum sermonis Græci decursum cernuntur, strictim percensere constituimus et brevi in conspectu proponere. Et quoniam solutæ orationis scriptores complecti nequimus iique pauciora hujus rei exempla et simpliciora offerunt, de his quum breviter præmonuerimus, in poetarum usu consistet hæc disputatio.

Apud Atticos igitur solutæ orationis scriptores nihil fere hujus generis occurrit nisi in pronomine reflexivo tertiæ personæ ex *αὐτός* composito. Hujus pronominis duales et plurales formæ ipse sibi repugnare videntur, quorum prior pars ad singularem numerum pertineat. Quam ob causam nonnulli veteres grammatici eas improbarunt, quum illos numeros rectius ad Homeri exemplum formari dicerent[4]). Sed, id quod maxime Atticorum proprium a grammaticis dici solet, sæpe hoc pronomen de prima atque etiam magis de secunda persona usurpatum[5]) invenitur neque tantum in plurali

---

1) Ex alia parte dici possunt fines hujus pronominis dilatasse, quum ad reflexivum sensum, quem in lingua Sanscrita habuerat, insuper directum addiderint. Sed ea res ab hoc loco aliena est.

2) Si fides Hesychio habenda est (vide p. 4 annot. 6) *ἶν* etiam accusativus esse poterat. Idem de *ἕιν* valet, si Bekkerus in Apoll. de Pron. p. 106 recte conjicit *ἐπὶ αἰτιατικῆς ἐσθ᾽ ὅτε παραλαμβανομένη* legendum esse. Cfr Buttm. Gram. Maj. p. 290.

3) Hujus usus primum et tertium genus minus recte permutationem pronominum dicere solent grammatici. Ne id quidem ex omni parte vere dicitur, possessiva tertiæ personæ hoc modo usurpata idem valere atque *ἴδιος*. Nam hoc vocabulum, etsi ab eodem fonte recte derivatur, aliam habet vim, qua ipsa ex pronominum numero excluditur.

4) Hoc de Aristarcho testatur Apoll. de Pron. p. 90 sq., ubi ipse ejus sententiam tuetur. Eadem ratione p. 139 verbum *σφετερίζομαι* de 1:ma et II:da persona usurpatum improbat, quod ad solam tertiam personam pluralis recte referri possit. Quamquam ipsam hujus verbi formationem analogiæ repugnare censet.

5) Apoll. Synt. p. 195 sq. hoc in singulari numero recte fieri negat, quod im-

numero sed etiam in singulari. Cujus usus exempla frequentia sunt apud omnes fere Atticos scriptores præter THUCYDIDEM. Nam apud hunc quod legitur I, 82 *εἰ — τὰ αὑτῶν ἐκποριζώμεθα* unicum videtur esse[1]). XENOPHON autem sæpius de secunda, numquam fortasse de prima persona pronomen *αὑτοῦ* posuit[2]). Sed hic scriptor, ut alia multa contra severiorem Atticismi normam peccavit, ita etiam hoc loco. Nam non contentus illo Attico pronominis usu Hell. I, 7, 19 *σφᾶς αὑτούς* de secunda persona dixit et, si vera est scriptio, Cyrop. 6, 1, 10 *σφέτερος* de prima[3]). Apud PLATONEM neque multa neque certa sunt exempla pronominis *ἑαυτοῦ* de prima vel secunda persona usurpati[4]). Oratores autem ab hoc usu nequaquam abstinuerunt; cujus exempla omnes inde ab ANTIPHONTE præbent[5]). ANDOCIDES quidem idem fere quod Xenophon

---

pediant *ἐμαυτόν, σαυτόν*, in plurali autem hunc usum p. 206—7 eo defendit, quod desint *ἐμαυτούς, σαυτούς*, quibus *ἑαυτούς* in alienam sedem immigrasse coargui possit. Hujus auctoritatem secutus Bernhardyus Wissenschaftl. Syntax p. 272 efficere vult, a vetustioribus Atticis scriptoribus hanc regulam observatam esse, a qua Isocrates primus recesserit. Sed paullo audacius hoc statuisse videtur, ut infra apparebit.

1) Quod Thucydides sæpe commisit, ut *σφεῖς, σφέτερος* ad singularem retulisse videatur, huc non pertinet. Vid. Krügeri Gr. 58, 4, 3; ejusdem indicem in Thuc. s. h. v.; Poppon. ad 5, 71 ed. maj., ad 3, 113 ed. min. Idem a Xenophonte factum est et in illis pronominibus et in *ἑαυτῶν*, itemque ab Herodoto. Apud Thucydidem quidem maxime offendunt 7, 4, 3. 1, 43, 1.

2) De secunda persona exempla sunto Cyrop. 1, 6, 35. 44 (Dind. *σαυτ.*). 5, 4, 37. 6, 3, 27. Mem. 1, 4, 9 (Dind. *σαυτ.*) 2, 1, 30. 31 (utroque loco Dind. *σεαυτῆς*). Hell. 1, 1, 28. 1, 7, 29. 4, 7, 35. Anab. 7, 5, 5. De prima persona exempla præbent nonnulli codd. Cyr. 5, 1, 2. An. 6, 6, 15, quorum auctoritatem rejecerunt novissimi editores.

3) Dindorfius, quem sequitur G. Sauppius, *σφετέρων* ejecit.

4) Phæd. p. 91 C. Bekkerus ex uno codice correcto *ἐμαυτόν* scripsit; Prot. p. 312 C. *σαυτόν* ex quattuor codd., quorum tres correcti sunt; Alc. II. p. 143 C. ex uno cod. *σαυτοῦ;* Amat. p. 136 D. *σαυτόν* ex duobus codd., quorum alter correctus. Sed certum videtur esse exemplum Phæd. p. 78 B., ubi *ἑαυτούς* ad primam personam refertur.

5) ANTIPHON B, δ, 1 *αὑτούς*, 5, 60 *αὑτοῦ* de I:ma persona habet et 5, 11 *αὑτῷ* de II:da, si Maetznerum audimus; nam Bekkerus et Turicenses *αὐτῷ* scripserunt. ANDOCIDIS 1, 101 duo codd. facili errore habent *τοὺς ἑαυτοῦ*, pro quo edd. *τοὺς σεαυτοῦ* dederunt; sed 114 omnes et codd. et edd. *αὑτὸς μὲν αὑτὸν ἀπώλλυον* præbent. LYSIAS 8, 5 *ἑαυτούς* de II:da persona habet; ISOCRATES *αὑτοῦ* 2, 38 de I:ma et 15, 145 de II:da. AESCHINIS 3, 163 pauci sed boni codd. *σαυτοῦ*, a Bekkero (Schulzio) acceptum pro eo quod Turicenses dederunt *αὑτοῦ*. DEMOSTHENES 1, 2 *αὑτῶν* (Bekk. *αὐτῶν*) de II:da persona habet (item 18, 39 in Epistola Philippi) et 18, 163 *αὑτούς* de I:ma, si Bekkerum sequimur, sed posteriores editores jure pronomen ejecerunt. LYCURGUS §. 94 *αὑτῶν* de I:ma persona, DINARCHUS 1, 8 et 70 *ἑαυτῷ* de II:da usurparunt.

in loco Hellenicorum supra allato commisit, quum 2, 8 *σφόδρα σφᾶς αὐτοὺς ἐπεφόβησθε* scripsit, etsi hic *σφᾶς αὐτούς* est pro *ἀλλήλους*. Sed hoc forsitan singulare sit hujusmodi exemplum apud oratores. Posterioris Græcitatis scriptores, qui quidem puriorem Atticismum sequerentur, ut Lucianus, pronominis *ἑαυτοῦ* usu Attico contenti fuerunt; ceteri vero sæpius exempla qualia illa Xenophontea exhibent neque solum ad omnes personas *σφᾶς* et *σφέτερος*, sed hoc possessivum etiam ad singularem numerum retulerunt[1]). Neque minore licentia usi sunt Byzantini[2]).

Herodotum ab Attico usu pronominis *ἑαυτοῦ* non prorsus alienum fuisse[3]) documento est 5, 20: *τάς τε ἑωυτῶν μητέρας καὶ τὰς ἀδελφεὰς ἐπιδαψιλευόμεθα ὑμῖν*. 5, 92, 2 *σφίσιν αὐτοῖς* de secunda persona usurpatum rariorem apud Atticos usum, cujus supra mentionem fecimus, refert. Sed alia exempla vix invenias apud hunc scriptorem.

Tragicos poetas formis *σφέ* et *σφίν*, quæ proprie plurales sunt, etiam de ceteris numeris usos esse constat[4]). Harum *σφίν* numquam, *σφέ* raro[5]) sensu reflexivo posuerunt. Possessivum *σφέτερος* uno loco ad singularem relatum habemus, Æschyli Pers. v. 900[6]).

Pronomen *αὑτοῦ* a tragicis poetis de prima aut secunda persona umquam usurpatum esse negarunt nonnulli[7]). Quorum sententia, a plerisque merito improbata, infirmissimis nititur argumentis.

---

1) Vide Stephani Thes. Ed. Par. s. h. v.

2) Vide Mullachii Grammatik der Griech. Vulgarsprache p. 53 sq. 184. 208.

3) Hoc tamen statuit Bredovius De dial. Herodotea p. 284. — Cetera hujus usus exempla, quæ præbet Lex. Schweighæuserianum, jam mutata sunt.

4) *σφέ* de sing. Eur. (ed. Kirchhoff.) Or. 29. Phoen. 765. Med. 33. 931. (1285.) Hipp. 890. Alc. 16. 20. 109. 154. 570. 846. Androm. 39. 346. 982. Troad. 727. 921. 1122. Rhes. 592. Suppl. 155. Ion. 54. 71. 279. 293. 296. 297. 360. Iph. Taur. 730. Iph. Aul. 70. Hel. 608. 936. 988. (1201.) 1217. Herc. Fur. 540. El. 27. Fragm. (ex rec. Nauck.) 1058; Æschylus novem locis (vide Lex. Well., ubi addendus Prom. v. 9); Sophocles duodeviginti (vide Lex. Ellendt). *σφίν* Pers. 759. Oed. Col. 1490.

5) Æschyl. Sept. c. Theb. v. 469. 617. Soph. Trach. 166. Oed. Reg. 761. Numeri sunt editionum Dind.

6) *ὅς* de secunda persona codd. exhibent Eur. Hel. v. 622, ad pluralem relatum, ex conjectura intulit Matthiæ Eur. Hel. v. 1123 scribens *τάλαιναν ὧν ἀλόχων κείραντες ἔθειραν*, de prima persona Hermannus item ex conjectura posuit Eur. Iph. Aul. v. 1212, ubi dedit *παιδὸς ἧς στερήσομαι*.

7) Elmsleyus ad Eur. Heracl. v. 144 de Sophocle tantum et Euripide hoc negat; Bernhardyus Synt. p. 272 et 286 ab omnibus tragicis hunc usum abjudicat, quod ad singularem pronominis numerum attinet.

Nam quod maxime efficere studuerunt, in locutionibus *αὐτὸς αὐτόν* et similibus posterius vocabulum spiritu leni, non aspero, ut fieri solet, scribendum esse[1]), id quale sit ostendere conabimur primum allatis omnibus locis, ubi has locutiones invenimus. Atque apud Æschylum quidem sine ulla codicum discrepantia est Prom. v. 762 *αὐτὸς πρὸς αὐτοῦ κενοφρόνων βουλευμάτων* (præterquam quod cod. Medic. *πρὸς αὐτὸς αὐτοῦ* habet). v. 921 *ἐπ᾽ αὐτὸς αὑτῷ*[2]). 1013 *αὐτὴ καθ᾽ αὑτήν*. Sept. c. Th. v. 406 *καὐτὸς καθ᾽ αὑτοῦ*. Agam. v. 836 *τοῖς δ᾽ αὐτὸς αὑτοῦ πήμασιν*. Etiam Sept. c. Th. v. 194 cod. M. præbet *αὐτοὶ δ᾽ ὑφ᾽ αὑτῶν*, ubi Scholiasta A utrumque agnoscit, et *ὑφ᾽ αὑτῶν* et, quod nonnulli codd. habent, *ὑπ᾽ αὐτῶν*. Item Pers. v. 415 M. *αὐτοὶ δ᾽ ὑφ᾽ αὑτῶν* dat, pro quo al. codd. *ὑπ᾽ αὐτῶν*. Uno loco Æschyleo, Choeph. v. 221 codd. consentire videntur in lectione *αὐτὸς κατ᾽ αὐτοῦ* pro ea, quam receperunt editores, *καθ᾽ αὑτοῦ*. Sophocles autem habet Aj. v. 906 *αὐτὸς πρὸς αὑτοῦ*. v. 1132 *τούς γ᾽ αὐτὸς αὐτοῦ* (M. *αὑτοῦ*) El. v. 285 *αὐτὴ πρὸς αὑτήν* (M. *αὐτήν*). Oed. Reg. v. 138 *αὐτὸς αὑτοῦ* (M. *αὐτοῦ*). v. 228 *αὐτὸς καθ᾽ αὑτοῦ*. v. 1237 *αὐτὴ πρὸς αὑτῆς* (M. *αὐτῆς*). Oed. Col. v. 853 *αὐτὸς αὑτόν* (codd. *αὐτόν*). v. 930 *τὴν αὐτὸς αὑτοῦ* (codd. *αὐτοῦ*). v. 1356 *τὸν αὐτὸς αὑτοῦ* (sic M.; al. *αὐτοῦ*). Ant. v. 1177 *αὐτὸς πρὸς αὑτοῦ* (M. *αὐτοῦ*). Trach. v. 451 *αὐτὸς αὑτόν*. v. 891, 1132 *αὐτὴ πρὸς αὑτῆς* (posteriore loco M. *αὐτῆς*). v. 910 *αὐτὴ τὸν αὑτῆς*. Accedunt in Fragmentis 323 (ex rec. Nauck.) *αὐτός τις αὑτῷ* et 736 *αὐτὸς παρ᾽ αὑτοῦ*, ubi codd. *αὑτῷ* et *αὑτῶν* præbent. Euripidei denique loci sunt hi: Med. v. 31 *αὐτὴ πρὸς αὑτήν* (codd. *αὐτήν*). Hippol. v. 399 *αὐτὴ δ᾽ ὑφ᾽ αὑτῆς*. Androm. v. 1121 *αὐτοὶ δ᾽ ὑφ᾽ αὑτῶν* (codd. *ὑπ᾽ αὐτῶν*[3]). Suppl. v. 433 *αὐτὸς παρ᾽ αὑτῷ* (cod. B. pr. m. *αὐτῷ*). Ion. v. 622 *αὐτὴ καθ᾽ αὑτήν*. v. 1178 *αὐτὸς αὑτῷ*. Iph. Aul. v. 810 *αὐτὸς ὑπὲρ αὑτοῦ*. Heracl. v. 143 *αὐτοὶ καθ᾽ αὑτῶν*. 814 *αὐτὸς αὑτοῦ* (codd. *αὐτοῦ*). Hel. v. 1519 *αὐτὸς αὑτόν*. Herc. Fur. v. 951 *αὐτὸς πρὸς αὑτοῦ*. Fragm. 183 *ἵν᾽ αὐτὸς αὑτοῦ τυγχάνει βέλτιστος ὤν*. 597 *τίκτων αὐτὸς ἑαυτόν*. 611 *αὐτοὶ δι᾽ αὑτούς*. 797 *ὁ δ᾽ αὐτὸς αὑτὸν ἐμφανιεῖ*. Ex hoc conspectu apparet, codices optimos sæpius pronomen reflexivum tueri, ubi vero a pronomine *αὐτός* stent, nusquam fere ullam præcedentis vocabuli mutationem fieri, sive aspero sive leni spiritu pronomen notaveris, ut codicum auctoritati his locis non multum tribui possit. Instar omnium est illud exemplum ex Eur.

[1]) Vide Elmsl. Eur. Heracl. 144. 814. Bernhardyi Synt. p. 287.

[2]) In hujusmodi exemplis Bernhardyus (l. c.) pron. reflexivum admittit.

[3]) Quos sequuntur plerique editores; injuria, ni fallor.

Fragm. 597 sumptum, cujus metrum anapæsticum pronomen *αὑτόν* respuit. Tum profecto mirum esset, si hac in re tragicorum usus ab Aristophane[1]) et a solutæ orationis scriptoribus[2]) recederet. Neque magis illa sententia probabilis videtur, si ipsam naturam pronominis *αὐτός*, quale est in Attica dialecto, consideramus; quod pronomen significationem latini pronominis, quod est *ipse*, nusquam admittit nisi ubi substantivo sive nomini sive pronomini adjectum est, id quod in primo casu semper fit: in obliquis, quum deest substantivum, latino *ei* respondet. Jam in exemplis, quæ supra ex tragicorum scriptis proposuimus, prius *αὐτός*, quod recto casu positum est, substantivo sive scripto sive audito adjectum est, posterius non nisi ita, ut idem substantivum alio casu cogitatione iteretur. Hoc autem cur fiat rejecta illa casus obliqui significatione, quæ ex Græci sermonis consuetudine ipsa se præbeat? Propter ejusdem vocabuli iterationem, inquiunt. At hæc non poetarum propria est sed etiam ceteris scriptoribus usitatissima, qui in hac verborum conjunctione pronomen reflexivum semper adhibent. Ac, si Euripides Alc. v. 1115 *σὺ δ' αὐτὸς αὐτὴν ἐσάγαγ' εἰ βούλει δόμους* dicere potuit, quis neget pronomen *αὐτός* iterari posse non eadem significatione etiam ubi per formarum rationem liceat utramque ad idem substantivum referre? Itaque ut hæc relatio efficiatur, necesse est posteriori pronomini addatur pronomen personale, cujus accessione exsistit pronomen reflexivum. In quo *αὐτός* proprie eam habet vim, ut objectum ad subjectum referat, non eam, ut objectum aliis objectis opponat[3]).

Itaque in iis tragicorum locis recensendis, ubi pronomen *ἑαυτοῦ* de prima vel secunda persona positum invenitur, jure nostro eos adnumerabimus, in quibus *αὐτός* pronomini præmissum est. Sunt autem hi:

AESCHYLI Ag. v. 1141

φρενομανής τις εἶ θεοφόρητος, ἀμφὶ δ' αὑτᾶς θροεῖς
νόμον ἄνομον (cod. Medic. *αὐτᾶς*)

---

[1]) Equit. v. 544 *κυβερνᾶν αὐτὸν ἑαυτῷ*. v. 1223 *αὐτὸς δ' ἑαυτῷ παρετίθει*; Nub. v. 194 *αὐτὸς καθ' αὑτόν*. 407 *αὐτὸς ἑαυτὸν κατακάων*. 980 *αὐτὸς ἑαυτὸν προαγωγεύων*. Eccles. v. 502 *ὃς αὐτὸς αὑτῷ*.

[2]) Etiam Herodotus 8, 16 *αὐτὸς ἑωυτόν*. 137 *διπλήσιος ἐγίνετο αὐτὸς ἑωυτοῦ*.

[3]) Nam hoc ubi fit, *αὐτός* per se poni nonnumquam videtur etiam ita, ut prima vel secunda persona simul audienda sit; ut Æschyl. Eum. v. 289 sq. *κτήσεται δ' ἄνευ δορὸς αὐτόν τε καὶ γῆν καὶ τὸν Ἀργεῖον λεών*. Antiphont. 5. §. 11 *δέον σε ὀμόσασθαι ἐξώλειαν αὐτῷ καὶ γένει καὶ οἰκίᾳ τῇ σῇ ἐπαρώμενον*. Quamquam hoc loco Maetznerus *αὑτῷ* scripsit fortasse recte; vide ejus comment. ad h. l.

Ibm v. 1296

εἰ δ' ἐτητύμως

μόρον τὸν αὑτῆς οἶσθα (codd. αὐτῆς)

Ibm v. 1542

ἦ σὺ τόδ' ἔρξαι τλήσει, κτείνασ'

ἄνδρα τὸν αὑτῆς (cod. *T* αὐτῆς).

Choeph. v. 111

πρῶτον μὲν αὑτὴν (intell. προσέννεπε) χὤστις Αἴγισθον στυγεῖ.

Ibm v. 221 (vide supra)

αὐτὸς καθ' αὑτοῦ τἆρα μηχανορραφῶ.

Ibm v. 1014

νῦν αὑτὸν αἰνῶ, νῦν ἀποιμώζω παρών,

Ita Hermannus; alii cum codd. αὐτὸν.

Suppl. v. 806

τίν' ἀμφ' αὑτᾶς ἔτι πόρον

τάμνω γάμον λυτῆρα;

Fragm., a Schol. Aristoph. ad Av. v. 807 servatum,

τάδ' οὐχ ὑπ' ἄλλων ἀλλὰ τοῖς αὑτῶν πτεροῖς

ἁλισκόμεσθα.

Sophoclis Aj. v. 1132 (vide supra)

τούς γ' αὐτὸς αὑτοῦ πολεμίους (intell. οὐκ ἐῶ θάπτειν)· οὐ γὰρ καλόν.

El. v. 283 (vide supra)

κἀπικωκύω πατρὸς

τὴν δυστάλαιναν δαῖτ' ἐπωνομασμένην

αὐτὴ πρὸς αὑτήν·

Oed. Reg. v. 138 (vide supra)

ἀλλ' αὐτὸς αὑτοῦ τοῦτ' ἀποσκεδῶ μύσος.

Oed. Col. v. 852 (vide supra)

γνώσει τάδε,

ὁθούνεκ' αὐτὸς αὑτὸν οὔτε νῦν καλὰ

δρᾷς οὔτε etc.

Ibm v. 920 (vide supra)

σὺ δ' ἀξίαν οὐκ οὖσαν αἰσχύνεις πόλιν

τὴν αὐτὸς αὑτοῦ.

Ibm v. 966

ἐπεὶ καθ' αὑτόν γ' οὐκ ἂν ἐξεύροις ἐμοὶ

ἁμαρτίας ὄνειδος οὐδέν.

Ibm v. 1356 (vide supra)

τὸν αὐτὸς αὑτοῦ πατέρα τόνδ' ἀπήλασας.

Trach. v. 451 (vide supra)

εἰ δ' αὑτὸς αὑτὸν ὧδε παιδεύεις,

Euripidis Heracl. v. 142 (vide supra)

δίκαιοι δ' ἐσμὲν οἰκοῦντες πόλιν
αὐτοὶ καθ' αὑτῶν κυρίους κραίνειν δίκας.

Bacch. v. 712

θάμνων δ' ἐλλοχίζομεν φόβαις
κρύψαντες αὑτούς· (cod. B. pr. m. *αὐτούς*).

Alc. 475

σὺ τὸν αὑτᾶς ἔτλας
πόσιν ἀντὶ σᾶς ἀμεῖψαι
ψυχᾶς ἐξ Ἅιδα. (ex Erfurdtii conjectura; codd. *σαυτᾶς*).

Aristophanes pronominis tertiæ personæ formis a *σφ* incipientibus nusquam usus esse videtur nisi in locis parodicis. Ran. v. 1464[1]) *σφέτερος* est in versu ab Æschylo pronunciato et Equit. v. 1020 *σφέ,* pro singulari positum, in oraculo. Raro, si unquam, Comicus *ἑαυτοῦ* ad primam aut secundam personam transtulit. Nam Equit. v. 505 sq.

ὦ παντοίας ἤδη μούσης
πειραθέντες καθ' ἑαυτούς.

ob alias quoque causas suspecti sunt. Nub. v. 960

ῥῆξον φωνὴν ἥτινι χαίρεις καὶ τὴν αὑτοῦ φύσιν εἰπέ

codd. Rav. et Ven. *αὑτοῦ* habent, Bekkerus et Dindorfius *σαυτοῦ* dederunt. Av. v. 360

τὸν ὀβελίσκον ἁρπάσας
εἶτα κατάπηξον πρὸς αὑτόν,

cod. Rav. *αὑτόν* habet; sed locus corruptus videtur. Nub. v. 1449, 1455, Ran. v. 630 alii codd. pronomen tertiæ personæ habent, sed Rav. *σαυτόν;* contra Av. 1020 Rav. *ἑαυτόν,* ubi ceteri secundam personam tueri videntur. Thesmoph. v. 234 Fritzschius ex conjectura scripsit *βούλει θεάσασθ' αὑτόν*[2]).

Ab Atticis ad lyricos poetas transeuntes liberiorem jam usum pronominum tertiæ personæ invenimus. Et apud elegiacos unum est exemplum Theognidis v. 711—2

---

[1]) Editionis Dindorf. Lips. Aliud hujus pronominis exemplum exstat in Cocali fragmento n. 128 ejusdem editionis.

[2]) Exempla ex ceterorum Comicorum Fragmentis sumpta vide in Indice ad Meinek. Com. Græc. Fragm. s. v. *αὑτοῦ* et *ἑαυτοῦ*.

ἀλλ' ἄρα καὶ κεῖθεν πάλιν ἤλυθε Σίσυφος ἥρως
ἐς φάος ἠελίου σφῇσι πολυφροσύναις[1]).

Melicorum autem ALCMAN Fragm. 3 (ed. Bergk)

ὑμέ τε καὶ σφετέρως
ἵππως

et Fragm. 46

σφεὰ δὲ προτὶ γούνατα πίπτω

pronomen possessivum ad secundam personam retulit[2]). Fragm. autem 48

τῷ δὲ γύνα ταμία σφεᾶς ἔειξε χώρας

et 49

σφοῖς ἀδελφιδέοις
κάρα καὶ φόνον

σφός pro *ὅς* usurpavit[3]).

ANACREON Fragm. 116

Βοίδιον οὐ χοάνοις τετυπωμένον, ἀλλ' ὑπὸ γήρως
χαλκωθέν, σφετέρῃ ψεύσατο χειρὶ Μύρων.

et SIMONIDES Fragm. 30 (ex Schneidevini conjectura)

τὰν δ' ἐπ' αὐχένα στρέφοισαν σφέτερον κάρα
πάντ' ἐπ' οἶμον

possessivum pluralium pro singularium posuerunt. Idem fecit PINDARUS Ol. 9, 76 sq. (ed. Bergk).

ἐξ οὗ Θέτιός γ' ὄζος οὐλίῳ νιν ἐν Ἄρει
παραγορεῖτο μή ποτε
σφετέρας ἄτερθε ταξιοῦσθαι
δαμασιμβρότου αἰχμᾶς;

Ol. 13, 60

τοῖσι μὲν
ἐξεύχετ' ἐν ἄστεϊ Πειράνας σφετέρου πατρὸς ἀρχὰν
καὶ βαθὺν κλᾶρον ἔμμεν καὶ μέγαρον.

Pyth. 4, 83

τάχα δ' εὐθὺς ἰὼν σφετέρας
ἐστάθη γνώμας ἀταρβάτοιο πειρώμενος
ἐν ἀγορᾷ πλήθοντος ὄχλου.

---

[1]) In v. 1218 jam *αὐτῶν* ad primam personam relatum scribunt ex Homerici sermonis consuetudine. Item Simonidis Fragm. 101 (ed. Bergk.).

[2]) Vide Apoll. de Pron. p. 139. Ceterum hæc duo fragmenta Callimachi esse suspicatur Ahrens de Dial. Dor. p. 263.

[3]) Vide Apoll. de Pron. p. 142, 143.

Isthm. 6, 32

καὶ τὸν βουβόταν οὔρεϊ ἴσον
Φλέγραισιν εὑρὼν Ἀλκυονῆ σφετέρας οὐ φείσατο
χερσὶν βαρυφθόγγοιο νευρᾶς
Ἡρακλέης.

Isthm. 8, 55

οἷς δῶμα Φερσεφόνας
μανύων Ἀχιλεύς, οὖρος Αἰακιδᾶν,
Αἴγιναν σφετέραν τε ῥίζαν πρόφαινεν.

Fragm. 200

Ἄλλο δ' ἄλλοισιν νόμισμα, σφετέραν δ' αἰνεῖ δίκαν
ἕκαστος.

Semel Pindari carmina ὅς pro σφετέρος præbent, Pyth. 2, 90

στάθμας δέ τινος ἑλκόμενοι
περισσᾶς ἐνέπαξαν ἕλκος ὀδυναρὸν ἑᾷ πρόσθε καρδίᾳ
πρὶν ὅσα φροντίδι μητίονται τυχεῖν.

et σφέ pro ἕ, Isthm. 6, 74

πίσω σφε (intell. Lamponem) Δίρκας ἁγνὸν ὕδωρ...

Quum consentaneum sit, transitionem illam a sensu Sanscriti pronominis mere reflexivo ad varias formas et significationes Græcorum tertiæ personæ pronominum paullatim factam esse, facile quis exspectet, in antiquissimis literarum Græcarum monumentis plurima hujus confusionis vestigia exstare. Et tamen in Homericis Carminibus, qualia ad nos pervenerunt, paucissima sunt. Nam Ilias non nisi unum exemplum præbet in Δολωνείας v. 397 sq.

ἢ ἤδη χείρεσσιν ὑφ' ἡμετέρῃσι δαμέντες
φύξιν βουλεύοιτε μετὰ σφίσιν οὐδ' ἐθέλοιτε
νύκτα φυλασσέμεναι, καμάτῳ ἀδηκότες αἰνῷ[1]).

Odyssea autem hæc: I, 402

κτήματα δ' αὐτὸς ἔχοις καὶ δώμασιν οἷσιν ἀνάσσοις·

ubi Bekkerus δώμασι σοῖσιν. IX, 27 sq.

οὔτοι ἔγωγε
ἧς γαίης δύναμαι γλυκερώτερον ἄλλο ἰδέσθαι,

quamquam hic locus ita explicari potest, ut ἧς non ad ἔγωγε referatur. XIII, 320

ἀλλ' αἰεὶ φρεσὶν ᾗσιν ἔχων δεδαιγμένον ἦτορ
ἠλώμην,

---

[1]) Bekkerus alteram scriptionem ab Aristonico commemoratam recipiens βουλεύουσι — ἐθέλουσι dedit.

quem versum cum tribus proxime sequentibus pro spuriis habent[1]). Sed dubitari vix potest quin, ut in aliis multis, ita hac in re quæ per Græciæ civitates ferebantur Homerica carmina haud paullum discrepuerint ab his, quæ nobis Aristarchi ceterorumque Alexandrinorum curæ tradiderunt. Qui, ut omnino analogiam sermonis sequebantur, quum sibi persuasissent, Homerum in pronominum usu accuratissimum fuisse[2]), quæcumque regulis suis repugnarent, ea, si fieri posset, amovisse videntur. Quod ita factum esse imprimis documento est carmen epicum ab Apollonio Rhodio ad Homerici sermonis leges, quales illis temporibus erant, diligentissime exactum[3]); cujus summa licentia in pronominum tertiæ personæ usu a nostro Homero magnopere abhorret. Sed etiam Scholia Iliadis idem testantur, in quibus nonnulla hujus generis exempla commemorantur. Quorum partem si conjecturis Zenodoti et aliorum tribueris, tamen apparet, illos talia non fuisse conjecturos, nisi in exemplaribus Homericis similia invenissent. Ita Il. I, 393 pro *ἑῆος* Zenodotus scripsit *ἑοῖο* ad secundam personam relatum, ut XV, 138. XIX, 342. XXIV, 550[4]). Idem criticus, quum I, 208 ejecisset, *σφωΐτε-ρος,* quod est paullo infra v. 216, non ad dualem numerum retulit. III, 244 pro *φίλῃ* habuit *ἑῇ,* quod quo spectare voluerit, incertum est[5]). X, 127 *μίν* pro plurali habuit. Ad XI, 76 est in Scholiis *γράφεται οἷσιν* (pro *σφοῖσιν*). Ibidem v. 142 pro *τοῦ πατρός,* quod nos habemus ab Aristarcho probatum, Zenodotus *οὗ* scripserat; alia scriptio erat *σφοῦ,* teste Aristonico. XVIII, 230 Zenodotus dederat:

ἐνθάδε κοῦροι ὄλοντο δυώδεκα πάντες ἄριστοι
οἷσιν ἐν βελέεσσιν.

Ad XXIV, 310 denique est in Scholiis: *ταχύν· ἐν ἄλλῳ ἑόν,* quod pronomen ad secundam personam referendum est[6]). Ex his

---

[1]) IV, 192, quem Aristarchus et plerique recentiores critici ejiciendum censuerunt, huc non pertinet.

[2]) Apoll. de Pron. p. 110 *ἀκριβὴς πάντοτε περὶ τας ἀντωνυμίας ἐστίν.* p. 139 *ἀδιάπτωτος ἐν ἀντωνυμίαις.*

[3]) Ex hac parte Apollonianum opus illustravit R. Merkelius in præfatione editionis suæ.

[4]) Vide Düntzeri libr. De Zenodoti Studiis Hom. p. 74. — Quod I, 8 et X, 546 *σφωΐ*, XII, 366 *σφῶε* scripsit Zenodotus, non significationum sed formarum confusioni tribuendum videtur. Cfr Düntzer. p. 57.

[5]) Si cum Apoll. Synt. p. 157 ad Helenam, non huc pertinet hic locus.

[6]) Quum Zenodotus II, 296 habuerit *διοτρεφέων βασιλήων*, Vossius Hymn. in Dem. ad v. 103—4 suspicatur, ab eo *ἕ*, quod est in sequenti versu, ad illum pluralem fuisse relatum.

igitur testimoniis concludere licet, in iis Homericorum carminum exemplaribus, quæ plurima et ex ipsa Græcia et ex Græcorum coloniis Alexandriam conferrentur, hanc pronominum confusionem satis frequentem fuisse.

In Hymnis Homericis ἕ de plurali dictum videmus Hymn. in Ven. v. 268, qui a multis spurius putatur; σφίν de singulari numero XIX, 19 et XXX, 9. In Batrachomyomachia, quæ fere Hymnis adjungi solet, v. 23 ἑός de secunda persona, v. 103 et 161 de plurali numero usurpatur.

Hesiodea carmina quinque habent hujus generis exempla. Horum unum, Op. et D. v. 2,

Μοῦσαι Πιερίηθεν, ἀοιδῇσι κλείουσαι,
δεῦτε, Δί' ἐννέπετε, σφέτερον πατέρ' ὑμνείουσαι,

ad prooemium pertinet, quod jam antiqui critici ab Hesiodo abjudicarunt; alterum est in ejusdem carminis v. 381

σοὶ δ' εἰ πλούτου θυμὸς ἐέλδεται ἐν φρεσὶν ᾗσιν
ὧδ' ἔρδειν, καὶ ἔργον ἐπ' ἔργῳ ἐργάζεσθαι,

qui non minus pro suppositicio habendus est. Tertium est ibidem v. 58

τοῖς δ' ἐγὼ ἀντὶ πυρὸς δώσω κακόν, ᾧ κεν ἅπαντες
τέρπωνται κατὰ θυμὸν ἑὸν κακὸν ἀμφαγαπῶντες.

Quartum in Theog. v. 398

ἦλθε δ' ἄρα πρώτη Στὺξ ἄφθιτος Οὔλυμπόνδε
σὺν σφοῖσιν παίδεσσι φίλου διὰ μήδεα πατρός.

Quintum in Scuti Herc. v. 90

ὃς προλιπὼν σφέτερόν τε δόμον σφετέρους τε τοκῆας
ᾤχετο.

In fragmentis Cyclicorum ceterorumque epicorum, qui Alexandrinorum ætatem præcesserunt, nihil est, quod ad hanc nostram quæstionem pertineat, nisi quod Antimachus videtur σφωΐτερος de tertia persona usurpasse[1]).

Didactici poetæ Aratus et Nicander — ut eos hoc loco commemorem — a confusione pronominum tertiæ personæ prorsus abstinuisse videntur. Quod etsi magnam partem ipsarum rerum naturæ, quæ in horum carminibus tractantur, tribuendum sit, tamen haud scio an de industria factum sit a doctissimis illis poetis, præsertim Nicandro, qui, ceterum priscarum vocum locutionumque amantissimus, has Alexandrinorum delicias repudiaverit.

[1]) Vide Apoll. de Pron. p. 141. Idem poeta quod σφωὶ pro σφωέ dixit, non videtur aliam rationem habere quam quod νῶι pro νῶϊ posuit. Cfr ibidem p. 113.

Bucolici, ut sunt ex parte cum Alexandrinis conjuncti, ita in usu pronominis tertiæ personæ hanc cognationem produnt. Ac Theocritus quidem *ὅς* de secunda persona singulari posuit X, 2 (incerta tamen scriptura). XVII, 50. XXII, 173. XXIV, 36; de tertia plurali XXV, 58 [XXVII, 26[1]]; *σφετέρος* de tertia singulari XII, 4. (XVII, 41). XXII, 209. XXIV, 59, de secunda XXII, 67, de prima XXV, 163; *σφωΐτερος* de tertia singulari XXV, 55[2]). Moschus autem *σφέτερος* de tertia singulari habet II, 26, 163. IV. 12, 53 et *ὅς* de prima IV, 77.

Pervenimus ad Alexandrinos poetas, quos pronominum confusione doctæ et exquisitæ elocutionis laudem appetiisse satis apertum est. Horum Lycophron omnino raro pronomina usurpavit. *σφέ* ad tragicorum Atticorum exemplum pro singulari posuit v. 1196, item *σφί* v. 1242. Pronomine possessivo semel tantum, si recte memini, usus est, v. 460, ubi *σφός* pro singulari pronomine est. Callimachus[3]) autem *ὅς* ad secundam personam singularis numeri retulit Hymn. in Dian. v. 103, *σφέτερος* ad singularem ibidem v. 229 et Hymn. in Del. v. 233. Ab eodem *ἑός* pro *τεός* et *σφωΐτερος* et *ὅς* pro *σφός* posita esse testatur Apollonius grammaticus[4]).

Sed omnium Alexandrinorum, ut jam significavimus, Apollonius Rhodius maximam exhibet pronominum tertiæ personæ confusionem. Nam hic pronomen possessivum *ὅς* non solum pro *σφέτερος* sæpius posuit[5]), sed etiam de prima et secunda persona utriusque numeri, pro *ἐμός* et *σός*[6]), pro *ἡμέτερος*[7]) et *ὑμέτερος*[8]). Idem *σφέτερος* non solum pro *ὅς*[9]) usurpavit sed pro *ἡμέτερος*[10]) et *ὑμέτερος*[11]); *σφωΐ*-

---

[1]) In hoc carmine, quod Theocriteum non esse pro certo affirmari potest, v. 41 et 43 codd. *ἶθεν* pro *σέθεν* præbent.

[2]) Præter primum omnia hæc exempla in iis carminibus exstant, quæ ad epicorum sermonem accommodata sunt.

[3]) Cfr Aulin de Elocutione Callimachi p. 72.

[4]) De Pron. p. 139. 143. Etiam Rhianus in fragmento apud Stobæum Floril. IV, 34 servato *σφέτερος* de singulari dixit.

[5]) Argonauticorum I, 384, 529, 617. II, 452, 513, 559. III. 167, 170, 327, 589, 591, 1375. IV, 484, 997, 1089, 1113, 1209, 1301.

[6]) Illius usus loci sunt II, 226. IV, 1015, 1036; hujus II, 634. III, 140, 511, 1041. (I, 225). Cfr Merkelii Proleg. p. LXXXI. Gerhardi Lect. Apoll. p. 93 sq.

[7]) IV, 203.

[8]) II, 332. III, 267. IV, 1384.

[9]) I, 167. III, 186, 302, 622, 643, 817, 1493.

[10]) IV, 1353. — *σφέα* habet I, 872, ubi *ἡμέτερα* exspectes. Vide Schol.

[11]) IV, 1327.

τερος autem pro *σφέτερος*[1]), sæpius pro *ὅς*[2]), semel pro *σός*[3]). Nec minore licentia in substantivo pronomine usus est, cujus singularem numerum pro *ἐμαυτοῦ*[4]) et *σαυτοῦ*[5]), pluralem formam *σφίσιν* pro *ἡμῖν αὐτοῖς*[6]) adhibuit. Quid de his rebus et de aliis multis[7]), quibus Apollonii pronominum usus a nostro Homero differt, statuendum videatur, supra indicatum est.

Quoniam ex tribus quattuorve quæ Apollonii ætatem exceperunt sæculis nullum amplioris magnitudinis poema ad nos pervenit, Anthologiæ Græcæ scriptores, quorum multi iique optimi ad illa sæcula pertinent, multi autem posteriores sunt, hoc loco comprehendimus. Atque *ὅς* quidem hic illic videmus aut ad tertiam personam pluralis[8]) respicere aut ad secundam singularis[9]) vel pluralis[10]); *σφέτερος* autem ad tertiam[11]) et primam[12]) et secundam[13]) singularis et ad secundam pluralis[14]); tum *σφέ* pro singulari positum[15]); *ἑαυτοῦ* denique et ad secundam personam singularis numeri [6]) et ad primam vel singularis[17]) vel pluralis[18]) relatum. In tanta versuum multitudine hujus generis exempla satis rara sunt. — Sed redeamus ad majora poemata.

---

1) I, 1286. IV, 464.

2) I, 643. II, 465, 544, 763. III, 335, 600, 625, 1227. IV, 274.

3) III, 395.

4) II, 635. III, 99 (addito *αὐτός*).

5) I, 983.

6) II, 1278. III, 909.

7) Ut *ἐμεῖο* (I, 891. III, 310, 721, 1076. IV, 743), *σεῖο* (III, 151. IV, 59), *εἶο* (IV, 460) sensu possessivo usurpatis, *ἑοῖο* et *ἑοῦ* pro genitivo pronominis substantivi, *οὗ ἔθεν* (I, 362. IV, 1471), *τὴν δέ μιν* (III, 741 cfr Herm. ad Orph. p. 799), *μίν* pro *αὐτούς* (I, 941. II, 8), *σφέ* ab Homero uno tantum loco, Il. XIX, 265 (vide Buttm. Lex. p. 60), ab hoc sæpius pro plurali posito (e. g. III, 327, 370, 683, 702. IV, 556, 786), pluralibus pronominum primæ et secundæ personæ pro singularibus sæpissime ratione ab Homero aliena adhibitis et simil. Cfr Merkelii Proleg. p. LXXX sq.

8) Anthol. Pal. VII, 268. VIII, 88. IX, 607. Plan. IV, 264. App. 264.

9) A. P. VI, 267. VII, 104, 539. VIII, 92. XI, 297. XV, 40.

10) A. P. III, 16. VII, 730. I, 10 v. 76.

11) A. P. VI, 323. IX, 716. XII, 96. Plan. IV, 206. App. 308.

12) A. P, IV, 1 v. 6.

13) A. P. I. 35 (?).

14) A. P. IX, 134.

15) A. P. VII, 741. VIII, 249.

16) A. P. XI, 77.

17) A. P. V, 238.

18) A. P. X, 87. XI, 19.

Quæ OPPIANI nomine feruntur didactica carmina possessivorum tantum tertiæ personæ permutationem habent. Et in Halieuticis, quod poema 3500 fere versus continet, ὅς pro σφέτερος vicies quinquies[1]), hoc pro illo quinquies[2]) positum videmus; in Cynegeticis autem, quæ paullo plus 2100 versuum sunt, ὅς pro σφέτερος vicies[3]) fere, hoc pro illo semel[4]). Omnino in utroque carmine σφέτερος sensu proprio usurpatum rarissimum est; in priore quinquies fere, in posteriore ter legimus. — Iisdem augustioribus finibus se continuerunt Auctor de Herbarum viribus, qui ὅς pro σφέτερος[5]), et DIONYSIUS PEREGETES, qui σφέτερος pro ὅς[6]) semel posuerunt. In MAXIMI poemate, quod περὶ καταρχῶν inscribitur, utriusque rei unum exemplum reperitur[7]). Aliquanto majorem sibi licentiam sumpserunt Apotelesmaticorum auctores, qui non modo ὅς pro σφέτερος sæpissime[8]) et hoc pro illo rarius[9]), pro ἐμός semel[10]) usi sunt, sed etiam ἕθεν[11]) et σφωΐτερος[12]) ad pluralem nonnumquam retulerunt. — Cetera didactica poematia vel poematum fragmenta prætermittimus.

Hinc si ad epica carmina revertimur, ætate proximus fuisse existimatur QUINTUS SMYRNÆUS. Qui quamquam omnino anxie Homeri vestigia premit, in usu pronominum Apollonium potius auctorem secutus videtur. Nam ὅς et ad pluralem tertiæ personæ sæpissime[13]) et ad primæ personæ tum singularem[14]) tum pluralem[15]) itemque secundæ et singularem[16]) et pluralem[17]) respicere

---

1) Halieut. I, 148, 273, (327), 523, 645, 664, 684, 730, 733, 747. II, 106, 133, 244, 245, 250, 278, 641. III, 86, 278, 326. IV, 192, 436, 488, 557. V, 372, 534.

2) Hal. I, 700, 711. II, 130. III, 149. IV, 355. V, 83.

3) Cyneget. I, 139, 143, 223, 258, 267, 268, 359, 417. II, 49, 106, 483, (549), 578, 589, 609. III, 116, 134, 179, 244. IV, 118.

4) Cyn. III, 200. 5) v. 150. 6) v. 776.

7) ὅς pro σφέτερος v. 320, contrarium v. 308.

8) (Edit. Axt. et Riegl.) I, 105, 111, 138, 157, 179, (188), 240, 244, (320). II, 141, 145, 159, 169, 182, 189, 217, 228, 238, 272, 341, 409. III, 65, 74, 374, 381, 390, 398. IV, 190, 449. V, 40, 98. VI, 9, 88, (106), 158, 183, 196, 226, 297, 359, 420, 470, 483, 522, 540, 589, 694, 709

9) II, 103, 348. VI, 53, 487, 526, 641.

10) I, 10. 11) II, 161. 12) II, 190.

13) I, 349, 527. II, 65, 264, 367, 463. III, 185, 222, 342, 423, 764, (787). IV, 15, 343, (347). V, 27, 325, 468, 538. VIII, 36, 236, 377. X, 255. XII, 31, 337, (456), 476. XIII, 90, 441, 518. XIV, 64, 218, 368, 386, 543. 545.

14) VIII, 440. 15) II, 28, 49. VIII, 455. XIII, 344.

16) II, 609. III, 634. VII, 268, 294. IX, 55. (XIII, 192).

17) I, 468. XIII, 282, 507.

voluit, neque minus *σφέτερος*[1]) et *σφός*[2]) ad singularem numerum et *σφωΐτερος*[3]) ad pluralem tertiæ personæ. Substantivorum autem *σφέ* pro singulari[4]) et *μίν* de duobus[5]) positorum incerta sunt exempla. Ceterum Quintus nonnumquam ipso Apollonio longius in hac licentia progressus est[6]).

Sequitur NONNUS Panopolitanus. Is, ut liberiore judicio utens ad superiorum epicorum exemplum se contulit et novam quandam ac propriam versus condendi artem effecit, ita ab hac pronominum confusione videtur abstinendum existimasse. Dionysiacorum quidem, amplissimi poematis, paucis locis[7]) *σφωΐτερος* ad pluralem numerum referri videmus; quod unicum hujus licentiæ genus sibi permisit Nonnus. In Metaphrasi vero Evangelii S. Iohannis nihil, quod huc pertineat, invenimus.

Qui restant epici poetæ sexti seculi, Nonni sectatores, eorum TRYPHIODORUS duobus locis *ὅς* pro *σφέτερος* posuit[8]), COLUTHUS autem et MUSÆUS nihil hujus generis commiserunt.

Ultimum locum **Orphicis**, quæ vocantur, carminibus assisgnavimus, non quod ætate ceteris posteriores sint, sed quia ex ea, quæ hic agitur, parte ab omnibus quodammodo differunt. Neque tamen eadem est horum carminum ratio. Nam **Hymni** nullum hujus abusus exemplum habent; **Lithica** autem eadem fere, quæ alii poetæ, ut *ὅς* pro *σφέτερος*[9]), hoc pro illo[10]) et pro *σός*[11]), *σφωΐτερος* pro *σφέτερος*[12]) et pro *ὅς*[13]) reperiatur; novum sed simile est *σφός* pro *σός* positum[14]). At **Argonautica** non modo his similia offe-

---

1) I, 246, 709. II, 90. V, 523. VII, 24, 92. X, 413. XI, 449, 452. XIII, 224. XIV, (30), 111.

2) I, 785. II, 302. III, 517. VII, 61. IX, 526. X, 435. XI, 492. XIII, 317.

3) XII, 89. XIV, 174.

4) I, 110, quem locum emendarunt Spitznerus et Koechlyus.

5) XIV, 171, ubi jam scribunt *σφιν ἄρ' ἀμφοῖν* vel *σφιν ἅμ' ἄμφω*. Ante Spitznerum et Koechlyum scribebantur V, 279 *αὐτόν* de I:ma et II, 157 *αὐτῷ* de II:da persona. Pro *οἱ αὐτῷ* V, 533 et X, 392 iidem II:dæ personæ pronomen restituerunt,

6) Ut *νῶϊ* pro plurali usurpavit I, 213. II, 88. VIII, 452. X, 31. XII, 257. At quod Hermannus ad Orph. p. 799 sq. suspicatur, apud Quintum *οἱ* pro plurali reperiri, quin etiam, ut orphicum illud *οἱ*, interdum abundare, vix cuiquam probabitur.

7) V, 348. XXI, 108, 292. XLVII, 637. Cfr Lehrs Quæst. Ep. p. 260. — V, 495 *ὅς* pro *σφέτερος* positum Lehrs conjectura *ἀγρευτῆρι θοούς*, Koechlyus lacuna constituta sustulit.

8) v. 138, 612.

9) Lithicorum v. 42.

10) v. 306, 623, 639, 747.

11) v. 663.

12) v. 581, 732.

13) v. 491.

14) v. 166.

runt, ut ὅς pro σφέτερος[1]), hoc[2]) et σφός[3]) pro illo et σφός pro ἡμέτερος[4]) usurpata videamus, sed multa habent in usu pronominis substantivi, quæ nova sunt et usque eo inaudita. Quamquam de his rebus difficillimum est judicium et propter miseram textus verborum conditionem et quia imperitus poeta pronomen οἱ sæpe adscivit, ut versuum numeros expleret; quo fit, ut haud raro de vi et significatione hujus pronominis nihil pro certo possit affirmari[5]). In 1384 versibus illud οἱ plus CL locis exstat, quorum locorum plus tertiam partem Hermanni conjecturis debitam si prætermiserimus, tamen restabunt multi, ubi pronomen aut prorsus abundare videatur[6]) aut pro plurali tertiæ personæ[7]) aut primæ[8]) accipiendum sit. σφίν autem, quod item sæpius abundare videtur[9]), aut pro singulari aut pro secunda persona plurali usquam positum esse[10]) probari vix poterit.

Vidimus igitur per omnes poesis Græcæ ætates hanc pronominum confusionem obtinere. Jam doctorum poetarum usus, Antimachorum, Callimachorum, Apolloniorum, ad sermonem Græcum, qualis ipsorum temporibus fuerit, cognoscendum, parum valet, quum doctissimus quisque summa diligentia ex antiquorum scriptorum monumentis hujusmodi ornamenta conquisierit. Quare de superioribus temporibus, non de suis hi poetæ testimonium dedisse putandi sunt. Sed æqualium loquendi consuetudinem solutæ orationis scriptores docent; apud quos eundem pronominum usum, etsi minus varium et multiplicem, reperiri ostendimus. At enim hi scriptores pariter ac

[1]) Argonauticorum v. 358 (Hermannus ἑῆς in textum receptum p. 815 retractavit). 441, 1122, 1292.

[2]) v. 731. [3]) v. 583, 868, 945, 1329. [4]) v. 1149.

[5]) Quam ob causam qui hujus poematis rationem paullo diligentius consideraverit, is non nimis mirabitur Hermanni inconstantiam, qui sæpius alias in notis, alias in disputatione adjecta, alias in indice sententias proponat.

[6]) Ut v. 174, 272, 285, 293 (ita Herm. quoque in indice in annotatione versui subjecta idem atque ἐν ἡμῖν esse statuerat). 298, 396, 535, 536, 591, 737, 821, 1029, 1141, 1262, 1316. Quamquam non nego, reflexivam quandam vim his locis intrudi posse.

[7]) Ut v. 234, 247, 251 (?), 255 (ita Herm. in annotatione ad v. 247; in indice οἱ *mihi* significare dicit). 301 (?), 476, 497, 687, 776 (?), 1146, 1279 (cfr 535, 591), 1339, 1341. Nonnullis locis articulus videtur esse ut v. 277, 528, 678, 839, 841, 1038, 1270, 1284.

[8]) Ut v. 764, 892, 939, 1214. Quod Herm. in Indice statuit, οἱ nonnumquam pro *me* vel *vobis* positum esse, parum verisimile videtur.

[9]) Ut v. 170, 471 (quibus locis substantivo præmittitur, ut οἱ v. 269, 776) 649, 914, 1278, 1301.

[10]) Quæ est Hermanni opinio, vide ad Orph. p. 797.

poetæ docto quodam et artificioso dicendi genere usi sunt, ex quo certam de quotidiani sermonis consuetudine conjecturam non liceat facere. Hoc etsi de posteriorum sæculorum scriptoribus maximeque Byzantinis aliqua ex parte recte dici potest, tamen ad hanc nostram quæstionem parum habet momenti. Nam ut ei rei non multum tribuamus, quod in titulis nonnumquam hujus usus exempla conspiciuntur[1]), lingua, qua nostræ ætatis Græci utuntur, maximo argumento est, illum certe pronominis reflexivi usum, qui Atticorum potissimum esse dicitur, non magis apud scriptores quam in vulgari sermone viguisse. Neogræca enim, quam vocant, lingua nihil aliud est nisi sermo vulgaris, qui, Græcorum cultu et literis senescentibus, urgentibus exteris populis, dialectis coalescentibus, exstitit atque succrevit, donec seculo duodecimo nova quodammodo et mutata specie prodiit literarum monumentis consignatus. Atqui jam apud illum scriptorem, qui primus vulgari Græcorum lingua usus est, THEODORUM PRODROMUM, pronominis reflexivi ea est forma, quam usque adhuc usurpant Græci; qui, ut personas distinguant, duobus hujus pronominis casibus, *τοῦ ἑαυτοῦ, τὸν ἑαυτόν*, encliticas formas *μου* et *μας* primæ, *σου* et *σας* secundæ, *του, της* et *των* (*τους*) tertiæ personæ adjungunt[2]).

Neque vero hæc personarum confusio in pronomine reflexivo Græci sermonis propria est; sed plures linguæ, quæ ex Sanscrito fonte provenerunt, ejusdem usus participes sunt, ut Persica, Slavonicæ, Lithuanica, Lettica[3]). Latinam autem et Scandinavicas pronominis reflexivi ad primam et secundam personam translationi passivam verborum formam debere, satis cognitum est.

---

[1]) Corp. Inscr. Græc. Tit. 1653 et 4158 (ille Boeoticus, hic Sinopensis, uterque versibus elegiacis scriptus) et 1695 (Delphicus) *σφέτερος* habent pro *ὅς;* 2140 b (Æginetícus), 3800 (ex Heraclea Pont.) *αὐτόν* de secunda persona, 3193 (?), 3260 (?), 3265 (omnes Smyrnæi) et 3587 (ex Troade) de prima positum.

[2]) Aliud hujus generis exemplum Græcorum, qui nunc sunt, sermo præberet, si verum esset, quod Mullachius (Gram. der Griech. Vulgarspr. p. 184) et alii statuerunt, plurales formas secundæ personæ, quæ sunt (*ἐ*)*σεῖς*, *σας*, (*ἐ*)*σᾶς* ex antiquis formis *σφεῖς* etc. repetendas esse. Sed verisimilius videtur, illas formas ex singularis numeri stirpe ductas esse, ut plurales primæ et secundæ personæ distinguerentur.

[3]) Miklosich, Sitzungsberichte der Wiener Akademie I. p. 835. Curtius, Grundzüge der Griech. Etymol. I. p. 361.